



parietibus aquam benedictam adspersit circa fundamenta eorum; id quod sinistrorsum tertia vice repetit. Capellanus eandem quaestionem repetit, quoties limina pulsantur ab episcopo. Tandem episcopus clamat: aperi, aperi, aperi, et signo crucis limen signat; templum cum paucis intrat inquit: pax huic domui! Canuntur in templo quaedam antiphona et Veni creator Spiritus; interea pavementum cinere in formam crucis regitur, cui cineri episcopus A. b. c. graecum et latinum baculo inscribit. Tunc vinum aqua, cinere et sale commiscetur, postquam exorcismus daemona ex his rebus fugavit, ut hoc chrysmate templum inauguraretur. Quo facto altari per signum crucis et aquam benedictam benedicit, septies illud circumit, et ultima vice canitur ex Ps. 51. adsperge me Domine etc. Tum parietes ab interiori parte et pavementum manu per formam crucis agitata consperguntur. Tum oratio ad populum habetur de vi et efficacia dedicationis, de Sancto, cui dicatur templum, de reuerentia erga sacerdotes, et sic porro. Dein porta chrysmate ungitur, a porta abit ad altare, idemque, recondens in illo reliquias, probe inungit et thura incendit. Quo facto duodecim signa crucis in parietibus unguento suo oblinit, inquit: Sancti \dagger ficetur et confectur hoc templum in nomine Patris et Filii, et Spiritus \dagger sancti; in honorem Dei et gloriosae virginis Mariae et omnium Sanctorum, in memoriam sancti N. Pax tibi. Quo facto thuribulum parieti admovetur. Redux tandem ad altare thura in formam quinque crucium disposita accendit inter precandum. Quo facto templum donariis exornatur, candelabra apponuntur, Missa celebratur, et indulgentiae illis, qui hoc templum frequentabunt, promittuntur. Epulae tandem laetae totum opus coronant. Casalius de vid. Christ. c. 33. harum ceremoniarum finem et sensum uberius explicat: item que Hospinianus de templis lib. IV. c. 2.

In dedicatione templorum iis quoque iam inde a saeculo quarto nomina fuere indita, quae vel a martyre, in cuius sepulchrali loco templum exstructum erat, vel cuius reliquiae in illis asservabantur, vel a fundatore, vel alia quadam occasione memorabili desumptum est. Augustinus de Civ. Dei l. 22. c. 10., nos martyribus, inquit, non templa, sicut Diis, sed memorias sicut hominibus, quorum a quod Deum vivit spiritus, fabricamus. A fundatoribus Carthagine templa Fausti, Lauren-